Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 219
Quelle:
Copyright:

verbis illis: *in opere et ſermone et operacione anime Ego autem coram — —.*

XC. VII D. 23

261 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 429. f. per duas columnas currente calamo ſcriptus hanc in Theca anteriore praefert notam: *Hunc librum teſtatus eſt Domui Collegij ducalis Wienn. Egregius vir Magiſter Andreas de weytra Sacre Theologie profeſſor eximius* &c. Vir hic cognomine *Hofmüller* poſt geſtos a. 1432 et 39. academicos faſces a. 1452. etiamnum ſuperſtes et facultatis ſuae *Decanus* fuit. Liber porro ſequentia complectitur: I. *Domini Petri de eliaco* (Alliaco, d'Ailly) *epiſcopi Cameracenſis poſtmodum ſancti Criſogoni presbiteri Cardinalis* expoſitionem *ſuper ſeptem pſalmos penitentiales.* Praefatio incipit: *Penitentia uera velud ſcala quedam eſt* &c. Ut alibi.

II. *fol.* 13. *M. Hainrici de baſſia*, ut in ſubſcriptione dicitur, *epiſtola pacis. Anno domini 1420.* Annus hic absque dubio Librarii eſt, cum annum 1397. ſupremum habuerit *Henricus*, titulus vero operis non parum involvit Scriptores, dum inter ea, quae Autor noſter de Schiſmate inter *Clementem* VII. et *Urbanum* VI. elucubratus eſt, alii *Conſilium Pacis*, alii *Epiſtolam Pacis*, alii *Dialogum de Schiſmate*, alii *Carmen invectivum in Schiſma ſui temporis* memorarent. Negotium ex parte extricatur, ſi ſciat lector, *Epiſtolam* noſtram *Pacis* eandem eſſe cum *Conſilio Pacis*, quod Capite I. mutilum *Hermannus von der Hardt* ex *Cod. Helmſtad.* inſeruit T. II. *Concil. Conſtant.* P. I. quo loco lapſus vir doctus *Henricum* noſtrum *fata Conſtantienſis Concilii vidiſſe et ſuperaſſe* in titulo ſcripſit. Miror vero, cum ei multa ſane ad vaſtum illud Opus ſuppeditarit Bibliotheca *Caeſarea*, *Codicem* praeſentem praeteritum fuiſſe. Sed neque, qui *Gerſonis* Opera *Antverpiae*, ut ſaltem fert titulus, a. 1706. edidere, conati ſunt Caput illud I. unde unde recuperare, Tractatum ἀκεφαλον T. II. *col.* 809. ex *Herm. v. d. Hardt* repraeſentare contenti. Ejus igitur ut integritati conſulatur, totum illud Caput huc exſcribendum duximus.

Uniuerſis nauicula (ſic) *Petri gubernacula inter undoſi maris procellas regentibus ceterisque orthodoxis reformande eccleſie miniſterio quomodo libet aſtrictis, mecum qualiſcunque ſim, cogitare que ad pacem ſunt iheruſalem. Vidi iniquitatem et contradictionem in Ciuitate, diuinus dixit propheta. Qui incolis ciuitatem Dei, que eſt Fidelium vniverſalis eccleſia, ſedentibus in tabernaculis Fiducie et in requie opulenta incraſſatis, impingwatis et dilatatis. Caro incaluit, refriguit ſpiritus, ſapuit mundus, inſipuit Deus, inſurrexit dyabolus, et virtutibus proſcriptis ſuccreuerunt vicia. Semitas patrum obliquauit poſteritatis malicia: violata ſunt eccleſiaſtica decreta, quoniam Chriſti eccleſia in ſangwinibus*